

Yd
5797



F. H. 24, 42.

Yd
5797

XXVIII.

Ad

audiendas quatuor triplicis generis Orationes,

ORDINARIAM

GEORGII FRIDERICI MULLERI, Meiningensis,

de

SCHLEVSINGA ROMANA

VALEDICTORIAS

I.

IO. SIGISMUNDI DVRFELDII, Kündorfensis,

de

PHILOSOPHIAE RVDIMENTIS

II.

IACOBI BURCKHARDI, Solisbaco-Palatini,

de

RE NVMARIA

&

PROPEMPTICAM

IOHAN. GEORGII HANFFTII, Bibrani,

ex

emblematicis & numis confectam

LITTERATOS SLEVSINGENSES

fuo quemque titulo, & quam fieri potest, officiosissime
inuito

M. GODOFREDVS LVDOVICI,

Ill. Gymn. apud Sleusingenses Rector.

D. XXIV. IVL. A. O. R. MDCC.

Schleusingae Hennebergicae excud. G. Wilh. Goebel, *Gymnaf. Typogr.*



Schlesia Romana

719





Vod in ordinarium hunc actum, & binas valedictiones solennes, de *Sleusinga Romana* cogito praefari, & quae ad themata singula illustranda facere queant, in manus sumo, non simplex subest causa, *Lector candidè & beneuole*. Sane *Cereales feriae*, quae iuuentuti illustris scholae nostrae proxime secutura hebdomade concedentur, non *Graecis* solum, *graeco* quanquam luxu, receptae erant, vnde orta sunt illa: *Pulmo rigatus nunc madeat mero*, nam *astrum* (caniculare) oritur, & : *πίνωμεν, τὸ γὰρ ἄστρον ἐπέλειετο*, *potemus*, orta est sicca *Canicula*. vid. *Excell. Dn. Omeis prolus. V. Academ.* quam post *ferias caniculares* de ipsis *canicularibus feriis* conscripsit & recitauit: sed genti quoque *Romanae* placuisse, *Sirio* aestuante, a solito labore, *vacationes*, quis ignorat? Ipsae *Scholae Romanae* cessarunt a mense *Iulio* vsque ad *Octobrem*, vt post *Besoldum* colligit *Ienenensis Ictus*, *Dn. Wildvogel*, in dissertatione de eo, quod iustum est circa *dies caniculares*, vom *Recht der Hundstage* p. 10. Idque ex *Martialis L. X. epigr. 56. Ludimagister, parce simplici turbae; sic te frequentes audiant capillati, & delicatae diligat chorus Musae; albae leone flammatae calent luces, tostamque feruens Iulius coquit messem, scuticaque loris horridis Scythae pellis, ferulaeque tristes, scepra Paedagogorum, cessent, & Idas dormiant in Octobres. Aestate pueri si valent, satis discunt.* Vt vel hinc *Sleusingam Romanam* dari, nullum superfit dubium; maxime iis, qui cum aliarum *Scholarum* mores legesque, tum *Gymnasii nostri* consuetudinem circa *dies Cereales* cognouerunt. Facit huc, non antiqua *urbis & Hennebergiae nostrae* conditio, quando *Romanam* ecclesiam tanquam matrem suam suspexit; sed praesens, qui hodiernum durat, rerum status, & innoxia apud *Sleusingenses* obseruatio nonnullorum rituum, quos in philologia contendere solemus cum *Romanis* ceremoniis, & adeo modernis foenerare aliquam lucem. *Misniam Romanam* Professor *Lipsiensis & Poeta publicus, Dn. Ernesti*, biennio abhinc per dissertationem stitit, exhibita integra dodecade illius regionis rituum, quibus cum *Romana* veteri gente in vnum videatur conuenire, & antiquos mores adhucdum exprimere. *Sleusingam Romanam* qui curatius noscere cupit, ad nonnullos incolarum ritus respiciat, qui *Romani* sunt, siue a *Romanorum* moribus parum abludunt; qui sine superstitione obtinent, & appellationem saltem *Romanam* tuentur, si non perinde ab ipsis *Romanis* (per patriciam enim *Columniorum Romanorum* familiam coepisse *Hennebergiae Comitatum*, quam controuersum id est!) omnes deriuare licet. Quinque impraesentiarum ritus *Silusiaco-Romanos* exhibeo, *Apophoreticam collectionem, den alten Karren, coenam collatitiam & condictiones, das Heerdwårmen / und Töpffgen, zusammen, tragen / strenam myristicam, das Muscaten, Neu, Jahr / officium conuocatum, die Venus, Toppen, & alium feminacuum, den Schnitz, Kloss /* plures, si *DEVS* dederit, alio tempore & loco daturus. Solent *Sleusingae* conuiuiae & in primis horum mulierculae pueris, qui ante mensam ministrant, ex cibis nonnulla domum ferenda dare, quae vel suo non arridere palato putant, vel commodiori longe ratione & postridie domi censent posse comedi; vel denique, quod domi sunt, qui aliena quadra malint victitare, delicatiorum cibum esse, rati. Atque vocant huiusmodi collectionem, *den alten Karren machen*. Nec tamen ouum ouo similis est, quam, quod apud *Romanos* olim vsu venit in *Apophoretis*, siue munusculis & paribus, quas qui ex conuiuio acceperat, domum secum abstulit. Dissertit de hoc more *Romanorum*, quibus suo iamdum *Graeci* praeiuerunt exemplo, *Auctor* non incelebris: *Cuilibet amicorum* (apud *Graecos*) *puer ministrabat, cui apophoreta seu portiones quaedam ferculorum domum deferendae committentur; more etiam apud Romanos vsitato, cui ministerio Aethiopes plerumque adhibiti sunt.* Solent, *Sleusingae* saepenumero, qui familiariter sibi coniuncti sunt, inuicem transfigere, vt, de improviso cum amico alio coenaturi, secum sumant symbola sua & portiones, ne in subito hoc conuiuio deesse possit hospiti, quod offerat, nec hospitibus, quod inter se disperiantur. Hoc vero numquid aliud est, quam *Romanorum* condictio ad coenam? promittit, vt *Symposiaci* autores habent, *ad coenam inuitatus; condictit, qui prior & vltro denunciat, se apud alterum coenaturum esse, quod non nisi inter familiarissimos fieri assolet.* Haec est condictio & subita coena apud *Suetonium* in *Claud. c. 21. & in Tib. c. 42.* etiam apud *Ciceronem l. i. fam. ep. 9.* Et quemadmodum ex *Graecia* suam habent illustrationem *Romani* ritus: ita allegasse hic non incongruum erit *εγγων* *Graecorum*, seu *collatitiam coenam*, vbi conuiuiarum quisque symbolam suam, *Töpffgen oder Gerichte*, in alterius focum & mensam conferebat. Arrhabo annulus fuit: *Dati annuli, locus, tempus constitutum, formula* apud *Terentium* est. *Ianuarii Calendis*, vt aliae strenae in vsu sunt *Silusiatis*, ita etiam *nuces myristicae, Muscaten*, quas donare solent plerumque pauperiores. Illas vero si dixerim apprime conuenire cum *caryotis Romanorum*, num aberrarem? Ita enim *Ouidius*:

*Aurea porrexit Iani caryota Calendis,
sed tamen hoc munus pauperis esse solet.*

Sponsus & Sponsa ante, quam ad solennem benedictionem in templum abeant, *offam* comedunt, dictam *die Braut-Suppe*: & conferri posse hunc ritum cum veterum *Romanorum* confarreatione, ex philologia videor mihi persuadere. Ad notandam forte inter coniuges communionem, quae debeat obseruari, mutuaque fidem, vt moneantur, *commu-*
nicant

nicanda sibi partiendaque inuicem omnia commoda, etiam ad vsque buccellam panis & offae. Vid. *Freinsb. ad Curt. 8. 4.* Porro ex *Romanorum* historia fati superque constat, antiquum eorum victum fuisse *farinam* coctam cum aqua & sale. Pultem vocabant. Quo pertinent verba ex *Valer. Max. L. II. c. 5.* Erant (maiores nostri) adeo continentiae attenti, ut frequentius apud eos pultis vsus, quam panis esset. An vero aliter comparatum est cum *Hennebergico-Sleusingensi* cibo, qui der *Schneß, Kloß* audit? Cum hic ex farina, aqua, tosto pane similagineo, lacte, butyro, & sale paratus, inque ollam translatus sibi vendicare possit *Iuuenalis* in pultem Romanam versum:
- - - - - *grandes fumabant pultribus ollae.*

Quia etiam cum *cumulo* hoc *farinaceo* iungi solent pira, prunaque tosta in vnam paropside, & aliàs in vnam patinam *Sleusingae* reponuntur carnes & pulmamentaria: annon videas ita repraesentari fercula *Romanorum* pentapharmaca, quale *Veri Augusti* fuit, dum in vnam ollam fumen, phasianus, pauo, crustulana, aprugna dabantur. En! *Sleusingam Romanam*. En! causas, quibus adducti in argumentum Philologicum nos diffundere, & hodiernos mores ex veterum disciplina studuimus eruere. Equidem fateor, possent alia proferri, quibus cum *Sleusingam*, tum cunctam *Hennebergiam* nostram *Romanam* esse probarem; & quod ad nostras quodammodo quadrēt vrbes, quae supra laudatus *Dn. Ernesti* in *Misniam Romanam* attulit, forte liceret asserere. Enimvero, ad nugas, in quibus delirae aniculae delectantur, animus non est digredi; nec in ecclesiae ministrorum fidelium munera inuolare, qui gentiles reliquias, vbi superesse vident, adoriuntur, & mores pro indignitate sua abominandos euellere seuere contendunt. Nulla fere regio est, quin habeat *Amaryllides* *Virgilianas*, quae cineres foras ferunt, riuoque fluenti transque caput iaciunt. Quoties *Calendae Maii* recurrunt, toties passim ex publicis cathedris sacris vituperatur superstitiosa plebs, quae in tanta veritatis luce tenebras amat, & *Palilia Romanorum*, horumque *Arualia* imitatur. Ex quo vero de fatalitate temporum dici coepit, & *Romae* obseruatos fuisse dies criticos vel fatales, & inter *Christianos* esse, qui lunae crescentis, decrescens, aliosque dies, ipsas etiam *Ianuarii* *Calendas* superstitiose venerentur, eheu! innotuit. Ego *Sleusingam* omnino bonam iudico, & ex eiusdem historia innocua solum & sine superstitione tolerata recenseo: cetera, *Palilia*, *Arualia*, *fatalia*, *Lupercalia* & *anilia* lubenti animo aliis traditurus, qui suis in regionibus tot fieri superstitiones animaduertunt. Accedit, quod supra dictum est, ad *Cereales* tantum *ferias*, quae historiam suam ex *Romana* antiquitate petunt, respici; & vbi probatum fuerit (probatum autem esse arbitror) eas *Romanas* esse, an, *Sleusingam Romanam* dari, quisquam poterit diffiteri? quin tantum abest, ut solum *Cereales* *feriae* & animi remissiones licitae, quas nunc expetunt adolescentes nostri, *Romanae* sint; ut ipsum, ipsum, inquam, *Gymnasium Romanum* esse, & hoc titulo debere insigniri, largiamur. De *Gregoriano Gymnasio actu*, quem *Romanum* & gentilem esse censet *Becm.* in *disert. Acad. 2. Vol. nov.*, nos alibi. An autem lectiones, vnde *Romani* styli elegantia & historia antiqua petitur, aliae sunt, quam *Romanae*, ex *Cicerone*, *Virgilio*, *Quidio*, & in *Classe* tertia ex *Nepote* & *Eutropio* depromendae? *Romanae* sunt exercitationes, & viae ad eloquentiam ac artes sublimiores; quod qui detrectat credere, videre potest *P. Francii* elegantissimas de ratione declamandi orationes. Ad audiendos alios peregre abire consueuerunt *Romani*. Idem sibi vult profectio nostra ad *Vniuersitates*, ut adolescentes loca inuisant, vbi vniuersim & locupletissime docentur, quae in *Scholis* & *Gymnasiis* per auditorum rationem proferre, non licet. Prouoco vltius ad *Leges Gymnasii* nostri, generalium trigessimam octauam: *Vbique sermone latino vtuntur Alumni*; & specialium, quae *Communitatis* *Alumnos* concernunt, octauam: *Perpetuo lingua latina (Romana) vtuntur*. Illos, qui per *DEI* gratiam ex *Romano* hoc *Gymnasio* prodierunt, & praeter pietatis *Regulas* & ceteras artes audierunt sibi euolui *Romanos* ritus, explicari dictionem *Romanam*, illustrari poetas *Romanos*, & vno verbo, tradi linguam *Latinam* & *Romanam*, compellare nolo; ne efferre nos insolentius videamur, aut iniquum offendamus arbitrum. Potius, si quid amplius vis, *Lector beneuole*, patiare, *TIBI* ex *Gymnasio* hoc *Romano* abituros duos adolescentes commendari, qui suis orationibus in *valedictionis* vicem elaboratis nostram de *Sleusinga Romana* sententiam adstruent, & quantum in *Romana*, aliisque linguis & artibus bonis profecerint, in praesenti cupiunt declarare.

Hoc est,

IO. SIGMUND DVRFELD,

qui patriam habet *Kundorsium*, Saxo-*Numburgicam* praefecturam, Parentem, *Nobilissimum*, *Consultissimumque Virum*, *Dn. Io. Christoph. Durfeldium*, t. t. praefectum *Kundorsensem* grauissimum, de *philosophiae rudimentis*, quatenus in *Gymnasiis* docentur, disset. Haud praeceps iter *Academicum* est, quod ingreditur, & videri poterat subitaneum; quasi e *caniculae* aestu torpor ingenii vires occupauerit, ut expectare nequeat in tempus *Gymnastico* discessui alias dari solitum. Nihil horum. Ematurefcere maluit *Durfeldius*, in gregis nostri ordine hucusque primus, Praeceptorum, in quibus fuerunt *B. Schadius*, & *Dn. Goldelius*, sincero motu, quam iusto citius & *Icario* more in *Academiam* subuolare. Habet proinde cum liberali assensione *Dn. Ephori*, summe reuerendi *D. Meisii*, qui adolescentis vires ex autoritate *synedrii principalis* *Citizensis* expertus est, profectus tales, vnde gaudium sibi polliceri possunt dulcissimi parentes. Triennio abhinc iamdum in historiam literariam *IV. seculorum* priorum a *C. N.* dixit; animo quasi praefagiens, se, quia de *Romanis* scriptoribus potissimum sermo fuit, *Romano* vltius dicturum more: quo *Sleusingam* quoque suo exemplo

Roma-

Romanam esse probet. Moderante *Honoratiss. Dn. Ephoro*, nunc memorato; Respondentem in publica egit dissertatione; quo qui fungi velit munere, Romae fuerit, siue, a Romana lingua instructam habeat mentem, oportet. Cetera vero documenta industriae, pietatis & obedientiae mea sponte taceo, vt ne vrgere solum videar, quod occupavi in programme, argumentum.

Dürfeldium Sleusingensem excipiet Auditor *Gymnasii* itidem pius, obediens, & Bonis omnibus ab ingenio haud vulgari, vtriusque *Romani styli*, & aliarum artium, quae in *Gymnasio* docentur, notitia, inexhausta tandem in percipiendis, ruminandis & applicandis lectionibus auiditate vehementer commendandus,

IACOBVS BURCKHARD,

Max. Reuerendi Viri, & de Ecclesia Euangelica Sulzbacensi in superiore Palatinatu impense meriti, Dn. M. Georgii Christophori Burckhardi, filius natu secundus. Triennium fere integrum in *Gymnasio* versata est bona optimi patris proles, nec recordamur, vnquam eam nobiscum rediisse in gratiam; quod praestantissimum elogium *Attici* est apud *Nepotem*, scriptorem *Romanum*, & *Clasfis* tertiae *Ill. Scholae nostrae* Autorem, tersum & elegantem. Adeo, dum ad patrios lares, dehinc vero in *Academiam* se conferre decreuit *Burckhardus noster*, hunc suspiriis comitamur, quibus non *Zopyros* plures, vti *Darius*, sed plures *Burckhardos*, aut *Burckhardi similes* nobis expetimus. Non opus est, allegari profectuum elegantissima argumenta, in quibus sunt tot publica, tot priuata specimina, oratio superiore anno per dramaticum carmen in *Eiulaeo* seculari declamata, nuperrima dissertatio *Praeside Dn. Con-R. & Collega M. Iunkero* publice defensa; & quae non, ad elaborandum proposita? *Supremus sermo Romanus* est, & perelegans de re numaria, subsidio accurato in historia Romana, vti constat ex *Patini Suetonio*, *Graeuii Floro*, *Gronouii Pomponio Mela*, & aliis Autoribus *Historiae Romanae* per numos illustratae. Legi merebitur in hanc rem programma *Meibomii* de num. vet. vsu in illustranda *Imp. Rom.* historia. Illa vero vota, quae *Gymnasii* nomine aliàs nuncupamus, & abiturientibus alumnis haudquaquam possumus denegare, $\lambda\omicron\gamma\omega\ \omega\epsilon\pi\epsilon\mu\pi\tau\eta\rho\iota\omega$ exhibere iussus est

IO. GEORG. HANFFT,

Bibra-Francus. Ita, vt vtroque oculo respiciat ad orationes valedictorias, alteram de *philosophia*, alteram de re numaria; &, quia nunc etiam *philosophia*, *Dürfeldii* thema, in *Academiis Emblematicae* incipit proponi, numi vero in *Oratoria*, vt *Celeberr. Dn. Olearius Arnstadiensis*, *Sleusingensis* superiore septimana hospes longe acceptissimus, in vniuersae rei numariae specimine p. 3. ex *Barthio*, *Rapertio* & *W. viso* uadiu, malum valent. *Oratione Emblematica Numaria* munus suum explicet. Iunctis tamen poëmatibus propempticis, *Inscriptione latina*, versibus *Hebraeis*, *Graecis*, *Latinis* & *Germanicis*, prout elaborare haec docet *Gymnasium Silusiaco-Romanum*.

Esse ratas iubeat summus loua preces!

Nihil ergo superest, quam vt ad audiendam pietatem dicturorum vltimum vale, & praeterea orationem peculiarem de *Sleusinga Romana*, a *GEORGIO FRID. MULLERO*, *Meiningensi*, elaboratam *Literatos Sleusingenses*, suo quemque titulo &, quam fieri potest, officiosissime aduocem; obseruanter & decenti sollicitudine rogans, nolint in finisteriorem partem rapere crebriores actus, qui instituuntur, & magnam negotiis molestiam creare possunt. Non frigere studia, hi significant. Et quo frequentior est aditus, eo maiori pietate nos obligatos sentimus, & aeternum, iuxta *Romanorum* formulam, deuotos. *Ferias* interim *caniculares* & *Romanas* salubres precamur, & felicitatem hanc *Maecenatibus*, *Patronis*, *Fautoribus* & *Amicis* propriam & perpetuam esse volumus! Alumnos autem & *Gymnasii* Ciues, vt ne iusto diutius, si necessitas a *Musis* aliquantisper auocauerit, domi ferientur, aut ex *Siriasi* (qui morbus *canicularium* dierum est, & ignauos imprimis his diebus impetit) se fingant laborare, monemus, & per studia, quae curae cordique esse debent, hortamur. Non latere possunt termini *feriarum canicularium*, vtut aliàs inter eruditos non leuis controuersia sit de initio & fine earundem; neque melius transiguntur *caniculares dies*, quam, si hoc otium putatur esse *negotium*, & a *Maiolo*, cuius *dies caniculares* eruditissimo volumine prostant, a *Lipso*, *Putcano*, *Mureto*, & aliis, quorum praecipue scripta *tempore caniculari* elaborata sunt, exempla sumere placet. Nunc *B. Georgii Greenii* de rusticatione veterum commentariolus ex *Romana Historia* instruere poterit. Cur stent *Solstitio Sol* & *Apollo pari*? canit *B. Morhof.* in programme, quo *Studiosos* ipsis *diebus canicularibus* ad lectiones inuitauit. Ego quoties nuncium *Cerealem* ago, toties *Senecae* (ep. 68.) verbis prodeco: *Otium vobis commendo, in quo maiora agatis & pulcriora, quam ea, quae reliquistis.* Atque illa nunc iterum iterumque ad *Alumnos Sleusingenses* dicta volo, finiturus

SLEVSINGAM ROMANAM.

TEMPORE, quo siccas insana canicula messes
Iamdudum coquit, & patula pecus omne sub ulmo est.

Cadente Quinctili A. O. R. M D CC.

1077

Pou Md 5797, FK

ULB Halle 3
003 145 859





F. H. 24, 42.

Yd
5797

Vobis in ordinatum hunc actum, & hinc validissimum...

audiendas
GEORGII FR
SCHLEVI
IO. SIGISMV
PHILOSOP
IACOBI BV
R
IOHAN. G
emblem
LITTE
suo quemque
M. GODO
Ill. G

Schleusingae Hennebergicae excud. G. Wilh. Goebel, *Gymnaf. Typogr.*
BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA
Silesia Romana 719

